



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1713**

Q. 26. An Minister licitè utatur materiâ vel formâ dubiâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42545**

facti. Si autem quis dubitet, an simpliciter habeat & an unquam habuerit talem jurisdictionem, ministrat illicitè, uti cum communi *Lugo de Pœn. d. 19. n. 28.* Si verò bonâ fide cœpisti possidere, v. g. parochiam, & superveniat dubium, an eam validè obtinueris, docent cum aliis *Côn. Dicast. à n. 203. Gob. t. 7. n. 21.* te posse pergere in administratione Sacramentorum, quia melior est tua possidentis conditio. Additque *Dicast.*, nullam ad sic operandum necessitatem requiri, sed meliùs contradicit *Côn.*, propter illa, quæ dixi n. 109.

§. 17. Si non agatur de valore Sacramenti sed tantùm de modo administrandi, potest Minister sequi opinionem practicè probabilem relictâ tutiore: ita cum communi *Carden. n. 4. & Gorm. n. 301.* Sic practicè probabile est laicum, qui propter necessitatem baptizat in mortali, non peccare mortaliter, tutius tamen est, id est, talis baptizans magis removeretur à periculo etiam materialis peccati, si priùs saltem conterasur, quo non obstante si se accommodet priori sententiæ & in mortali baptizet, non peccabit mortaliter, quia opinio, secundùm quam operatur, non exponit Baptismum periculo nullitatis, nam certum est non ideo fore invalidum, sed tantùm versatur circa modum debitè administrandi illum: atque idem est de aliis similibus sententiis circa reliqua Sacramenta.

Plura circa hæc addentur de Pœnitentiâ, quando de jurisdictione & approbatione Confessarii: item de Matrimonio, quando de impedimentis dirimentibus.

Q. 26. An Minister licitè utatur materiâ vel formâ dubiâ. R. Per se loquendo esse illicitum, quando



potest haberi certa, uti constat ex dictis à n. 104.

Dixi 1. per se loquendo, nam si Ministro intentarstur mors, nisi materiam vel formam dubiam adhiberet, non in contemptum religionis vel fidei, sed quia minans putaret materiam vel formam talem esse sufficientem vel satis certam, *Henriq. A. Perez, Bonac. d. 1. q. 2. p. 1. n. 33. Escob. l. 8. n. 155. Com. q. 60. n. 81. Diana p. 1. t. 13. R. 2. & p. 3. t. 6. R. 48. n. 8. J. Santh. d. 44. n. 12. Rhod. d. 1. q. 4. l. 4. §. 4. Dicast. de Bapt. d. 1. n. 190.* dicunt non fore illicitum conferre Sacramentum sub conditione, si talis materia vel forma sit sufficiens: imò *Bernal d. 6. n. 109.* innuit, si etiam in contemptum Ecclesie impedireris, quominus baptizares puerum morti proximum, nisi cum materia dubia, v. g. cum tenui cerevisia, te debere baptizare conceptâ intentione rectâ, ne puer æternum periret, ad removendum tamen scandalum tenereris protestari te hoc facere, non in contemptum Ecclesie, sed ob extremam necessitatem pueri.

Dixi 2. quando potest haberi certa, nam in necessitate utendum est dubiâ, uti dictum est n. 110. & inter dubias illa adhibenda est, quæ videtur probabilior, uti notant omnes communiter cum *Gob. t. 2. n. 37.* Quid autem facere debeat Sacerdos in variis dubiis circa materiam consecrandam, dicetur, quando de Sacrificio.

Q. 27. Quando nam & quomodo Minister reiterare debeat Sacramentum. R. Quando prudens dubium est de valore Sacramenti collati, debet iterari saltem sub conditione, ita *S. Th. q. 66. a. 9.* aliique communiter cum *Moya t. 1. q. 9. n. 16.* & *Dicast. hic d. 1. n. 119.* Estque perinde, si sit du-